

dens : de quo dicitur Exodi 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*, quia nimirum tali mense Deus a Pharaonis tyrannide eos eduxerat. Dierum vero tres differentias agnoscebat, scilicet legalium, naturalium, & artificialium. Dies legales accipiebantur a vespere unius diei, ad vespem subsequens, iuxta illud Levitici 23. *A vespere usque ad vespem, celebrabitis sabbata vestra*. Ubi per sabbata intelligenda sunt quilibet festa maxime sollempnia : nam eodem loco festum expiationis celebratum, vocatur *sabbatum septuagesimo*. Unde D. Thomas in 4. dist. 11. qu. 2. art. 2. quaestione 3. ad 3. sic ait : *Quomodo ante Christi resurrectionem, a mane in mane computabatur, tamen hoc erat a vespere ad vespem* ; eo modo quo in Ecclesia modo festa incipiunt, quoad officium, a prima vespere usque ad secundam. Dies naturales accipiebantur apud Hebraeos, sicut apud nos, a media nocte, in medium noctis sequens ; vel ut aliquibus placeat, & insinuat D. Thomas loco citato, ab ortu Solis, in ortum subsequens. Dies vero artificiales distinguebantur etiam sicut modo contra noctem, ita ut comprehenderent tantum illud spatium, in quo lux Solis apparebat.

105 Sciendum est praeterea, inter festa Judaeorum, duo maxima apud eos sollempnitatis fuisse, nempe festum Paschalis, sive transitus, & festum Azymorum : ex quibus primum erat institutum in memoriam beneficii, quo Angelus vultor, transiens per Aegyptum, primogenitosque Aegypti interimens, Hebraeos salvos & intactos reliquerat : secundum vero in recordationem alterius beneficii, prorsus eandem, quo eadem nocte post interemptos primogenitos Aegyptiorum, Hebraei ex Aegypto insinuatim egressi sunt, Aegyptiis urgentibus, ita ut cum non possent fermentare panes, praepropere azymos coxerint, ut Exodi 12. narratur. Inter has autem duas festivitates, haec est notanda differentia, quod Pascha una tantum die, quae est octava, scilicet 14. luna primi mensis, sub vespere celebrabatur, ut patet Exodi 12. Levitici 13. Deuteronomio 16. subindeque ejus sollempnitatis non incipiebat in vigilia praecedenti, sive in vespere lunae 13. nec cum vigilia sabbati quies concurrebat : At vero celebritas Azymorum concurrebat septem dies legales completos, quorum primus & septimus festivi erant, & sollempnissimi : propter quod sollempnitatis prima diei azymorum, quae erat luna 15. incipiebat a vespere lunae 14. & sic Pascha sive Pascha conjungebatur cum festo Azymorum ; ita ut a cena Paschalis Agni comedendi cum azymis, usque ad vigesimum primum diem ejusdem mensis inclusive, panis fermentatus intra domos Judaeorum non extaret. Ita aperte ex Scriptura colligitur, nam Exodi 12. sic habetur : *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus, tollat unusquisque azymum per familias & domos suas, & servabit eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel, ad vespem ; & edat carnis panis ille assus igni, & azymos panes, & comedetis festinanter : habitabit autem haec dies in monumentum, & celebrabit eam sollempnitatis Domino : septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentatum in domibus vestris, dies prima erit facta, & sollempnis, & dies septima, eadem sollempnitatis venerabilis. His postis*

106 Graeci, ut diximus, ut suum ritum & doctrinam de consecratione Eucharistiae in pane fermentato teneant, asserunt Christum Dominum cenam agni Paschalis, in qua hoc sacramentum instituit, non celebrasse prima die azymorum, sive luna 14. sed ipsam praevensse ; ita ut suum Pascha celebraverit luna 13. Martii, mortuus vero fuerit luna 14. in qua Judaei post vespem suam Pascha immolabant, & incipiebant uti azymis. Latini e contra ut ritum suum de consecratione in azymo defendunt, asserunt Christum cenam agni Paschalis, in qua instituit sacramentum Eucharistiae, celebrasse die sua luna 14. mensis primi, ad vespem, in qua incipiebat sollempnitatis prima diei azymorum, subindeque Christum in azymo, non vero in fermentato consecrante.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

107 Deo primo, Christum cenam agni Paschalis, die sua luna 14. mensis primi, ad vespem celebrasse, subindeque eadem die sacramentum Eucharistiae instituisse. Ita communiter Patres & Doctores Latini, immo & D. Chrysolomus, summae inter Graecos auctoritatis hom. 85. in Math. Et Theophylactus in cap. 22. Lucae : *Diem azymum* (inquit) *nominae seriam quintam, in cuius vespere pascha immolaturus erat*. Quod & tradit in commentariis in alios Evangelistas, ejus tamen verba corrupta, bene ex vetustioribus exemplaribus restituit Arcudius lib. 3. cap. 5.

108 Probat primum conclusio evidentibus Scripturae sacrae testimoniis, nam Matth. 26. dicitur : *Prima autem die azymorum*, accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes : *Ubi vis pararemus tibi comedere Pascha?* Et paulo post dicitur Christum vespere facto cum illis discubuisse, & coenasse ; quod item asserit Marci 14. & Luca 22. Sed prima dies azymorum, non erat decima tertia mensis primi, quia tota die 13. comederat panis fermentatus, sed decima quarta, in cuius vespere incipiebant comedi azyma, & non licebat comedere fermentatum, ut illud in domibus habere, ut patet Exodi 12. vespere supra relatis : Ergo Christus non celebravit die decima tertia, sed decima quarta primi mensis, cenam in qua comedit Pascha, id est Agnum Paschalem, & sacramentum Eucharistiae instituit.

Nec recte Euthymius primum diem azymorum explicat, ipsum pridie azymorum : Tum quia addit, *diem festum azymorum* : Erat autem dies festus, solum primus & septimus dies azymorum, ut constat ex verbis Exodi supra adductis. Tum etiam, quia credibile non est, Christum qui in omnibus fuit divinae legis observantissimus, & qui ut ipse dicebat Marci 9. *non venit legem servare, sed adimplere*, praevaticum fuisse legem, anticipando diem pro hac celebrante institutum. Et certe, si hoc fecisset, juste potuissent Judaei hoc illi obicere, nec tantum laborasset in querendis fallis testibus.

Ad hoc respondet iterum Euthymius ; fuisse licitum 109 prevenire Pascha, quamvis non liceret ultra diem constitutum a lege differre.

Sed contra primo, quia inde maxima confusio in hujus festi celebratione accidisset, si fuisset cuiuslibet liberum celebrare suam Pascha, quacumque die lunam decimam quartam antecedente.

Contra secundo : Hoc fingit Euthymius, nam Scriptura nullibi, ne apparenter quidem, id insinuat, sed potius contrarium docet aperte. Numer. enim cap. 9. lex permittit quidem in favorem immundorum, ac peregrinorum, ut propter immunditiam, vel peregrinationem longinquam, extra terram Chanaan, Pascha suam in secundum mensis differret : imperat tamen ut illud celebrent ipsa luna decima quarta, vel vespere.

Probat secundo conclusio, & magis adhuc impugnat 110 Graecorum sententia. Non est assignabilis causa sufficiens, ob quam Christus legaliter coenaverit, pridie quam lex iuberet : Quare enim quam fuerit causa illa ? Respondent Graeci, quia fiebat fe in crastino morte preventum, non posse agnum comedere. Verum haec causa nulla est, Christus enim non debebat servare legem, nisi quamvis videret, subindeque non erat cur illud mandatum, quod mortem erat subsecutum, antea impleret : sed satis erat ut ad complendam veritatem figura Agni typici immolaretur in cruce.

Dico secundo, per vespem diei fe lune decimaquarta, 111 in qua lex praecipit immolari Agnum Paschalem, non debet intelligi ea quae praecedebat diem fe lunam decimaquartam, sed quae sequebatur, & quae erat secunda vespere diei decimaquarta, & prima diei decimaquinta ; proinde Christum ea vespere Pascha cum Discipulis celebrasse, & sacramentum Eucharistiae instituisse. Ita communiter docent Theologi, & Scripturae interpretes, contra Stellam, Oleatrum, & Laylum, supra relatos.

Probat breviter : Lex ferebat mandandum esse 112 Agnum, ea vespere qua incipiebat prohibitio usus fermentati, nam esus agni, & prohibitio fermentati, seu dies azymi, simul incipiebant : Sed haec prohibitio non incipiebat in prima vespere lune decimaquarta, sed in prima diei decimaquinta, & inchoabat in secundis vespere lune decimaquarta : Ergo prohibitio fermentati non inchoabat in prima vespere lune decimaquarta, sed in secunda. Major constat, quia usus fermentati non erat prohibitus, nisi in diebus azymorum : Ergo ante primam diem azymorum, non incipiebat prohibitio fermentati. Minor vero ex eo suadet, quod si prima dies azymorum fuisset luna decimaquarta, & inciperet luna decimatertia in fine ; cum aliunde ultima dies azymorum esset luna vigesima prima, jam fuissent octo dies integri azymorum, cum tamen Scriptura Exodi 12. expresse asserat esse tantum septem.

Respondent Adversarii, luna decimatercia in fine, 113 non fuisse prohibitum fermentatum, nisi quantum ad cenam legalem, in qua comederatur agnus, non vero in aliis coenis, & quantum ad alios cibos, & primam diem azymorum simpliciter, non fuisse lunam decimaquartam, sed decimaquintam ; & in hoc sensu verum esse, quod esset tantum septem dies azymorum. Addunt tamen posse admitti octo dies azymorum secundum quid, quia luna decimaquarta potest dici prima dies azymorum secundum quid, ex eo quod, quantum ad cenam legalem, non licebat uti fermentato in prima ejus vespere.

Verum

114 Verum si haec responsio & doctrina vera esset, nullum haberemus fundamentum ad colligendum contra Graecos, Christum consecrante in azymo : Sed hoc est contra omnes Doctores Latinos, etiam illos contra quos disputamus : Ergo & sequela Majoris probatur : Latini nullum aliud habent fundamentum ad id colligendum, nisi quia non licebat uti fermentato, eo tempore quo Christus consecravit : Sed juxta solutionem datam, hoc fundamentum esset nullum : Ergo & c. Minor probatur, quia juxta illam luna decimaquarta, ante secundam vespem, non erat prohibitum fermentatum, nisi quantum ad cenam legalem, quae juxta Adversarios, periciebatur in prima vespere lunae decimaquarta : Sed Christus non instituit Eucharistiam in cena legali, sed in communi & usuali, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. dicens quod Christus *vetere Pascha completo, novum instituit*, & Augustinus Epist. 108. ubi ait Christum prius comedis Agnum Paschalem, & deinde Eucharistiam instituisse. Id etiam, inquit S. Thomas in hymno quem edidit, verbis istis : *Post Agnum typicum, expleti opulenti, corpus Dominicum dedit Discipulis* : Ergo si consecravit luna decimatercia in fine, potuit uti fermentato in institutione Eucharistiae.

§. III.

Principia Graecorum fundamenta solvuntur.

115 Principia Graecorum fundamenta sumuntur ex variis Scripturae locis, quibus insinuat videri, Christum Pascha celebrasse cum Discipulis suis, antequam Judaei illud celebrarent, subindeque praevensse diem a lege statutum, quae erat decimaquarta primi mensis.

116 In primis enim Joan. 12. omnia illa quae Christus gessit in cena, facta dicuntur *ante diem festum Pascha*. Secundo, idem Evangelista cap. 18. ait quod in die passionis Domini, Judaei non introierunt in Praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, id est Agnum Paschalem : Ergo illa die a Judaeis manducabatur, subindeque Christus Pascha celebravit, pridie quam a Judaeis celebraretur.

Tertio, capite 19. Christus dicitur mortuus Parasceve Pascha : Sed Parasceve est torum tempus praecedens, in quo ea quae ad Paschatis celebrantem necessaria erant parabantur. Ergo Christus mortuus est, antequam Judaei Pascha celebrarent, subindeque in celebratione Pascha, & manducatione Agni Paschalis diem a lege statutum anticipavit, & per consequens non die fe luna decimaquarta, sed decimatercia illud celebravit.

Denique, Christus non est passus die prima azymorum, quae erat decimaquinta mensis primi : Ergo decima quarta, & per consequens die decimatercia, Pascha celebravit, & sacramentum Eucharistiae instituit. Utraque consequentia patet, Antecedens probatur. Tum quia, cum in die sollempni Azymorum neas esset Judaeis litigare, accusare, & jus dicere, Christum ea die non rapuerunt ad mortem. Tum etiam, quia in die festo nihil Judaeis licebat facere, exceptis iis quae ad vendendum pertinebant, ut dicitur Exod. 12. & tamen ea die qua Christus mortuus est, mulieres paraverunt aromata & unguenta, ut dicitur Luca 13. Addi potest, quod dies sabbati quae secuta est immoedatam mortem Christi, Joann. 19. appellatur *Dies magnus sabbati* : quo nomine non designatus fuisset, nisi extitisset dies primus Azymorum, quia non habuisset speciale aliquam magnitudinem & sollempnitatem supra alia sabbata : Ergo Christus non est passus die prima Azymorum.

117 Propter haec argumenta, Bagenfis, Lyranus, Catharinus, & alii dixerunt, Christum manducante quidem Agnum Paschalem luna decimaquarta in secundis vespere, sed Judaeos illo anno, ex speciali dispensatione, distulisse hanc comestionem in lunam decimaquintam, quae erat sabbatum, seu prior vespere sabbati, quia enim populo molestum erat, duo festa immediata colere, cum nullum opus servile licitum esset diebus festis facere, etiam pro cibis parandis ; & aliunde luna decimaquarta illo anno incidente in seriam quintam, prima dies Azymorum incidere in seriam sextam, qua Christus passus est, consequenter poterunt ex dispensatione differre esum Agni in lunam decimaquintam, ut sic primus dies festus Azymorum celebraretur ipso sabbato.

118 Sed contra primo : Marci 14. dicitur, Christum comedisse Agnum die prima Azymorum, quando Judaei Pascha immolabant : Ergo Christus & Judaei eodem die immolabant Agnum. Item Luca 22. dicitur : *Venit prima dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, scilicet secundam legem, in quam subindeque non cadebat dispensatio ; alias si in illo anno fuisset dispensatio, non fuisset necesse illa die occidi Pascha, quia potuisset differri.

119 Secundo impugnat haec responsio, destruendo fundamentum cui illius Auctores non sunt, & ostendendo ipsos in idem incommodum incidere quod vitare volunt : si enim illo anno prima dies Azymorum fuisset celebrata

in sabbato ; septima dies quae etiam erat festiva, & eadem festivitate quae prima venerabilis, ut dicitur Exodi 12. incidisset in seriam sextam sequentem, quae immediate praecedebat sabbatum, & sic duo festa sibi immediate successissent, etiam juxta Adversariorum sententiam.

Aliter ergo argumentis propositis responderetur. Ad primum enim dicendum, quae a Christo gesta sunt in nocte cenae, dici ab Evangelista facta ante diem festum Pascha, sumpta die pro artificiali prout distinguitur a nocte, non pro naturali, ut complectitur noctem : unde non dicitur *ante festum*, sed *ante diem festum*. Quae explicatio est Catechismi Romani cap. de Eucharistia, & D. Thomae in 4. dist. 11. qu. 2. art. 2. quaestione 3. ad 1.

Ad secundum cum eodem S. Doctore ibidem in resp. 3. responderetur, quod quando Evangelista ait, quod Judaei, die qua Christus crucifixus est, non introierunt in Praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha : per *ly Pascha* non intellexit esum Agni Paschalis, sed esum panum Azymorum, qui per septem dies comederantur, aut victimarum, quae per dies Paschales offerbantur, & quae Paschata dicebantur, ille enim non nisi a mundis comedi debebant.

Ad tertium dicendum per parasceve Pascha non intelligi preparationem ad Pascha, sed parasceve quae erat festum Pascha, id est feria sexta intra festa Paschalia illo anno occurrentis. Judaei enim quamlibet seriam sextam appellabant parasceve, quia in ea praeparabant necessaria ad diem sabbati sequentem, in quo non licebat eis quidquam operari, nequidem cibos preparare. Quae explicatio confirmatur ex illo Marci 15. *Erant parasceve, quod est ante sabbatum* ; & ex illo Joan. 19. *Judaei ergo, quoniam parasceve erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato*, &c. Ex quibus patet, parasceve fuisse, non ad pascha, sed ad sabbatum.

Ad quartum nego Antecedens, & ad primam ejus probationem dico, non esse certum ex Scriptura, actus judiciales fuisse in hoc festo prohibitos : vel Judaeos facile potuissent exilitare, pro bono communi se pro tunc ad eam legem non teneri.

Ad secundam respondeo quod sicut prima dies azymorum, licet festo, licitum erat coquere cibos, ita & alia ejusmodi facere, quae non licebat facere in sabbatis ; unde mulieres feria sexta, quae erat prima dies Azymorum, paraverunt aromata. Addo cum D. Thoma supra citato, ad 4. opera misericordiae non reputari inter opera servilia, unde in die sollempni licebat aromata ad sepulchrum preparare, quia hoc erat opus misericordiae.

Ad id quod additur, respondet idem sanctus Doctor ibidem ad 5. quod *quacumque die de septem diebus Azymorum, sabbatum veniret, dicebatur magnus dies sabbati ; propter geminam sollempnitatem, scilicet sabbati, & Pascha*, id est dierum Paschalis, inter quos septem dies Azymorum computabatur.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra secundam conclusionem.

119 Contra secundam conclusionem objiciunt primo Stellam, Oleaster, & Laylus : Ea vespere Judaei celebrabant Pascha, quae pertinebat ad lunam fe diem decimaquartam : Sed ad lunam fe diem decimaquartam, non pertinebat secunda vespere, sed prima tantum ; quia Judaei suas sollempnitates inchoabant a vespere diei praecedentis, & terminabant in vespere sequente, seu ante vespem sequentem : Ergo Judaei celebrabant Pascha prima vespere diei decimaquarta, subindeque die decimatercia primi mensis.

120 Respondeo, concessi Majori, negando Minorem, ad 122 cujus probationem, in primis dico, falsum esse quod dies festivi apud Judaeos terminarentur ante secundam vespem, nam ut supra ostendimus, incipiebant in prima vespere, & terminabantur in secunda inclusive ; eo modo quo nunc in Ecclesia festa incipiunt quoad officium in primis vespere, & durant usque ad secundas inclusive. Addo quod, celebritas Pascha apud Judaeos non erat festiva, nec alio modo colebatur, quam immolatione & comestione Agni, sed prima tantum dies Azymorum, quae proinde incipiebat in prima vespere lunae decimaquinta, in qua, una cum Azymis, & lactibus agrestibus, Agnus Paschalis comederatur, ut dicitur Exodi 12.

123 Objiciunt secundo predicti Auctores : Eo tempore immolabant Judaei Agnum, quo primum immolabant illum in egressu de Aegypto : Sed in egressu de Aegypto, immolabant Agnum luna decimaquarta ad primam vespem, hoc est in fine diei naturalis decimaterciae : Ergo eadem die & vespere illum immolabant, cum Christus Pascha cum Discipulis celebravit. Major videtur certa, tum ex duodecimo capite Exodi, tum etiam quia illa immolatio agni fiebat in memoriam prioris immolationis, & liberationis primogenitorum Israel. Minor vero probatur. In illa nocte qua Judaei egressi sunt de Aegypto,

non poterunt Agnum immolare, sed ad summum in nocte procedenti: Atqui egressi sunt de Aegypto nocte qua terminabat lunam decimanquartam, & inchoabat decimanquintam: Ergo nocte precedente, ea scilicet qua terminabatur luna decimatercia, agnum immolarunt. Minor habetur Exodi 12. & Num. 13. ubi dicitur quod Judaei profecti sunt de Ramesse, mense primo, decimaquinta die mensis primi. Major vero, in qua est tota difficultas, probatur primo, quia nocte illa qua Judaei primo immolarunt Agnum, usque ad ortum diei nullus poterat exire e domo, juxta illud Exodi 12. Nullus vestrum egredietur ostium domus suae, usque mane. Secundo, quia post eum Agni, Judaei petierunt plurima vasa aurea & argentea ab Aegyptiis, multaque suppellectilem, quae omnia non poterant fieri eadem nocte. Tertio, quia Exodi 12. dicitur exiisse de Aegypto sexcenta fere millia pedum virorum, absque parvulis & feminis: ad congregandum autem tantam multitudinem, quae in diversis Aegypti urbibus dispersa erat, necessarius fuit saltem dies integer, qui proinde interesse debuit inter eam agni, & exitum eorum. Demum Numer. 33. altera die a Phara, seu Agni Paschalis est, Hebraei exiisse ex Aegypto dicuntur: Ergo non in eadem nocte.

144 Respondeo negando Minorem, & ad illius probationem, nego Majorem: ad cuius primam probationem, nego Antecedens, quod scilicet ea nocte qua Hebraei primo immolarunt agnum, nullus exierit e domo: neque enim Moyses praecipit illis, ut e domibus non egredierentur absolute nocte illa, sed ut non egredierentur, quouique compellerentur ab Aegyptiis: nam sic rem gellam esse Exodi 12. Jussit Angelus omnes filios Israel, sanguine agni immolari ad occasum Solis, sub sinem lune decimaquarta, utramque postem, & superliminaria domorum hinc, ut sic notam illam advertens, domum ita rubricentam praeteriret: & omnes, soloque primogenitos Aegyptiorum interficeret, quod & fecit: jubente interim Moysse, ut dum tanta perageretur strages, nullus Israelitarum e domo sua egredieretur. Surgens autem Pharaos nocte illa, cunctaque Aegyptus, invenerunt omnes primogenitos jacere exanimis: veriti autem, & ne ipsi pariter occiderentur, compulerunt statim Judaeos egredi de Aegypto, sicut exierunt, durante adhuc nocte, ante ortum Solis.

Ad secundam respondeo Judaeos jam jam egressuros, vasa argentea & aurea postulasse, & Aegyptios, pro nimio desiderio quo optabant ut discederent, facile concessisse; inde propter nimiam festinationem qua cogebantur egredi, non poterunt fermentare, quod argumento est, eadem nocte fuisse egressos.

Ad tertiam dicendum, duplicem distingui egressum filiorum Israel, alterum quando de tota terra Gessen, & singulari urbis ac oppidis ejus, coacti sunt exire: & hoc contigit summo mane, ante ortum Solis diei decimaquinta. ut distum est; alterum, quando jam in urbe aliqua congregati, omnes simul ordinate progredi sunt; & hoc contigit vespere ad Solis occasum, in fine diei decimaquinta, quia urgebat semper Aegyptii; praemonerat autem Moyses, in quem locum deberent congregari; & ad hoc necessarius saltem fuit unus dies, ut scilicet congregarentur.

Ad quartam respondeo, ideo Hebraeos dici exiisse de Aegypto, altero die ab egi Aeg, quia ad vespertam lunae decimaquarta Agnum comederant, & deinde sequenti mane egressi sunt de Aegypto.

ARTICULUS VI.

Nomina quibus hoc sacramentum insigniri solet, breviter recensentur, & ostenditur Agnum Paschalem fuisse praecipuum ejus figuram.

145 **A**git S. Thomas art. 4. de nominibus qua huic sacramento tribui solent, & docet illa esse praecipua quaeque: nam quatenus est commemorativum dominicae passionis, vocatur *Sacrificium*; ut est symbolum & causa Ecclesiasticae unitatis, *Communio*, vel *Synaxis*, ut est praefigurativum fruitionis Dei, nobisque praebet viam seu auxilium perveniendi ad patriam, *Viticium*. Item hoc sacramentum *Eucharistia* dicitur, quod nomen, vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem significat. Dicitur bona gratia, vel quia in hoc sacramento gratia Dei largius effunditur, vel quia in gratiarum fontem continet. Appellatur vero gratiarum actio, tum quod in ejus institutione Christus gratias agit, tum quod ad gratias Deo pro universis beneficiis referendas, nihil hac purissima hostia Deo acceptius offerre possunt. Unde Chrysolomus hom. 25. in cap. 8. Matth. *Optima* (inquit) *beneficiorum cultus est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio. Preterea & tremenda ac salutaria illius mysteria, qua in omni Synaxi celebrantur, Eucharistiam nuncupamus, sunt enim beneficiorum recordatio plurimum, capitque ipsum divina ergo nos providentia ostendunt, neque faciunt debitas semper*

*gratias exsolvere. Denique hoc sacramentum appellatur a Damasceno *Mentalis*, idest assumptio, quia per illud Filii Dei Deitatem assumunt, & fit (ut loquitur S. S. Patres) veluti quaedam incarnationis extensio: Etenim qui semel pro nobis in utero Virginis incarnatus est, quotidie ubique terrarum in omnibus quotquot voluerint aliquo modo incarnatur, nam caro ejus vire cibis, & sanguis ejus vire potus nocet efficitur. *Magna & vera bona* (inquit Seneca epist. 73.) *non sic dividuntur, ut exiguum in singulis cadat, ad unumquemque tota perveniant.* Unde Christus beneficium uni tantum humanitati in sua incarnatione collatum, in Eucharistia in omnes & singulos protendit, diffundit, & dilatat, & bonitatis suae adeo prodigius efficitur, ut nullum repellat, sed omnibus sui copiam faciat, nec fit qui se abscondat a calore ejus.*

Plura sunt alia nomina & elogia quibus S. S. Patres hoc mirabile sacramentum insignunt. S. Dionysius illud *sacramentum sacramentorum*, immo *sacramentorum omnium consummationem & perfectionem* appellat. S. Ignatius epist. ad Ephesios illud vocat *Gloriam Dei, & pacem Christi*, nec non *Pharmacium immortalitatis*. Clemens Alexandrinus: *Manna omnium malorum oblivionem inducens*. Paschasius, *Arborem vite plantatam in medio paradisi Ecclesiae*. Basilus, *Inchoatum vite hostrum*. Tertullianus, *Sacramentum benedictionis*. Origenes, *Verbum nutritivum animarum*. Athanasius, *Panem benedictum*. Chrylogosus, *Aeterna vite cibarium*. Prosper Aquitanus, *Panem eternitatis*. Cyprianus, *Alimentum immortalitatis, & vite aeterna portio*. Guillelmus Parisiensis, *Ipsius amoris cibum*. Angustinus, *Sacramentum spei*. Cyrillus, *Viticium benedictionem*. Rupertus, *Solacium salutis*. Chrylogosus, *Orbis terrarum decus*. Eligius, *Lactem totius Trinitatis*. Demum D. Bernardus serm. in coena Domini, mirabili hujus sacramenti dulcedine illectus, in ejus laudem exclamavit: *Potest esse mare quale vel quantum sit hoc Sacrum sanctorum, Sacramentum sacramentorum, Amor amorum, Dulcedo omnium dulcedinum*. Illi concivit Mattheus Episcopus Wormatiensis, qui hujus Divinissimi sacramenti laudes praclaris his Encomiis, eleganter & devote celebrat: *Redemptionis memoriale, pignus hereditatis aeternae, futurum jucunditatis amabile praesidium, verba sponsae, sociale divinum calicis & donatum, Ecclesiae militantis cum triumphante saepe glutinum, & unio fraternae, dum illum dulcedinem qua illa fruatur sine velamento, ipsa habet sub Sacramento: & si illa caliditas Jerusalem habet Deum summi jucundum, ipsa in terra militans, habet eum mirabilissimum*.

Articulo sexto docet S. Thomas, sacramentum Eucharistiae plures olim habuisse figuras, nimirum oblationem Melchisedech, qui obtulit panem & vinum; Manna, quod habebat in se omnis saporis suavitatem, ut dicitur Sapient. 16. & varia sacrificia veteris legis, praesertim sacrificium expiationis, quod erat sollempnissimum, sed praecipua ejus figuram fuisse Agnum Paschalem, quia perfectius representabat omnia quae ad ipsum pertinent: nam oblatio Melchisedech representabat Eucharistiam solum quantum ad id quod est sacramentum tantum, nimirum species panis & vini. Sacrificia veteris legis solum representabant Christum tantum, qui est res hujus sacramenti; Manna vero, ejus tantum effectum, gratia nimirum Eucharisticae dulcedinem & suavitatem, praefigurabat: Sed Agnus Paschalis quantum ad haec tria hoc sacramentum representabat, quia manducabatur cum panibus azymis, immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel, qua immolatio erat figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus, & denique, quia per sanguinem Agni Paschalis protecti sunt filii Israel a devassante Angelo, & educti de Aegyptiaca servitute, quae eductio erat symbolum seu figura liberationis populi Christiani a servitute peccati, per gratiam justificantem, quae in hoc sacramento copiose conlatur: Ergo Agnus Paschalis fuit praecipua hujus sacramenti figura. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatum est Christus: itaque epulentur in azymis sinceritatis & veritatis*. Ubi glossa ex Augustino: *Pascha transmissa dicitur* (inquit) *quia tunc primum populus Dei Pascha celebravit, quando ex Aegypto Hebraei fugerunt, mare rubrum transierunt: Nunc vero figura illa prophetica completa est, cum sensus vobis ad imitandum ductus est Christus, cujus sanguine illius possitis nostris, idest frontibus Crucis signo signatis, a perditione hujus saeculi, tanquam a captivitate Aegyptiaca liberamur, & saluberrimum transitum agimus, cum a diabolo transimus ad Christum &c.* Legendas est D. Gregorius hom. 22. in Evangelia, ubi totum Agni Paschalis mysterium explicat ex professo, & in gratiam Resurrectionis Dominicae, Paschati Christiano sigillatim applicat.

DISPUTATIO III.

De materia Eucharistiae.

Ad quaestionem 74. D. Thomae.

Cum hoc sacramentum sit institutum per modum convivii ad reficiendum spiritualiter animam, duplicem habet materiam, remotam & transeuntem, ex qua conficitur; alteram ex qua conficitur corpus, alteram ex qua sanguis efficitur. De utraque in hac disputatione dicemus.

ARTICULUS I.

Qualis debet esse panis ad conficiendum Eucharistiam?

S. I.

Praemittuntur quae apud omnes sunt certa, & referuntur sententiae.

Supponimus ut de fide certum, materiam ex qua corpus Christi conficitur, esse panem, id enim colligitur evidenter ex facto Christi Matth. 26. Marci 14. & Lucae 22. ubi dicitur, Christum accepisse panem, & illud in corpus suum convertisse; sicque Ecclesia semper intellexit, ut traditur in Concilio Lateranensi cap. Firmior, in Florentino, in Decreto Eugenii & in Tridentino sess. 13. & alibi saepe; fuitque praeparatum in oblatione Melchisedech, qui obtulit panem, unde Christus Psalm. 109. & ad Hebraeos 5. dicitur *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Item Divina Sapientia Proverb. 9. cunctos fideles ad Eucharistiae convivium invitans, sic ait: *Venite, comedite panem meum, &c.*

Per hoc excluduntur varii hereticorum errores, quos refert D. Thomas hic art. 1. Quidam enim qui dicebantur Arotytrix (ut Augustinus dicit lib. de haeresibus cap. 28. & Epiphanius haeresi 49.) offerebant panem & caseum in hoc sacramento, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terrae & ovium fuisse celebratas. Alii vero, scilicet Cataphrigae, & Peputiani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore, minutis portionibus vulneribus, extorquebant, Eucharistiam suam conficiebant, miscentes enim farinam, panemque inde facientes.

Unde credo natam fuisse illam notam, quam Gentiles inurebant Christianis, quod infantes occiderent. De qua Tertullianus mentionem facit in Apologetico cap. 7. & cap. 9. & Minutus Felix in libro ad Octavianum.

Ad jungi possunt Gnostici & Manichei, quorum errores propter modestiam hinc praetermissi videntur D. Thomae. Primi enim in Semine humano corpus Christi conficiebant, ut refert Epiphanius haeresi 26. Secundi vero in panem humano semine confecto, ut auctor est Augustinus libro de haeresibus c. 46. Eosdem errores refert Victorinus, & Erasmus, in scholis ad epist. 54. S. Hieronymi, & Bernardus Luceburgensis lib. 3. verbo *repusis*, & verbo *Quintilliani*, Soto in 4. dist. 9. quest. 1. art. 1. referens Thomam VValdensem tom. 4. de sacram. cap. 19. & Laurentium Beyerlinum in theatro vite humanae, verbo *Eucharistia*. Item Gravina tom. 1. praecipuum, lib. 4. folio 63a. Unde immerito Vasquez hic dist. 170. cap. 1. contendit, nusquam haereses illas existisse; immo nullam habentem, praeter errorem Graecorum de corpore Christi: hujus enim disti falsitas ex eo patet, quod etiam his temporibus est Calvinistarum sententia, panem, & vinum ita esse hujus sacramenti materias, ut tamen illis deficientibus, alia possint eorum loco subrogari, ut omne esculentum, loco panis; & omne poculentum, loco vini, ut docent Beza epist. 2. ad Tullium, Polanus lib. 5. Syntagmatum Theologicorum cap. 56. Scarpius de coena sacra, controvers. 3. quest. 1. & alii. Quin & sibi narratum a viro fide digno, refert Adrianus Hoitadius serm. 22. de Eucharistia, non desuisse Ministrum, qui frustulis panis deficientibus ad coenam peragendam, singulis porrexit orbicularem particulam farcinam, quod Gallice *Saucesse*, five *Bandin*, appellatur.

3. Supponimus ut certum & indubitatum apud Theologos, solum panem verum & proprie dictum, qui simpliciter & absolute est panis, esse materiam ad conficiendum corpus Christi. Sicut enim, quia ex Evangelio constat Baptisimum debere fieri in aqua, recte colligitur solum aquam veram & naturalem, esse materiam Baptismi: ita quia idem Evangelium asserit, Christum panem consecrasset, pro materia hujus sacramenti & praecipisse Discipulis ut idem facerent, recte inferitur, solum panem verum & proprie dictum, qui simpliciter & absolute est panis, esse materiam Eucharistiae. Unde massa cruda, aut torrida Sole, non est apta materia, quia panis usualis requirit ut coequatur igni: sicut nec pasta oleo fructu.

xa, vel aqua elixa. Nec etiam amyllum, quia fit ex tritico corrupto, & ex eo non fit panis usualis, cum ejus materia non tam fit tritici farina, quam lac ex eo expressum, ut notavit Soto. Debet etiam massa, ut ex ea fiat panis sacramentalis, seu consecrabilis, esse coniecta ex farina & aqua naturali. Unde ut ait D. Thomas hic art. 7. ad 3. *si farina admisceatur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non possit ex eo confici sacramentum, quia non est verus panis*. Nec obstat quod opponit hic Cajetanus, de hoc dubitans, nimirum aquam non esse partem essentiali componentem, sed transeuntem: est enim (inquit) panis tertia res resultans ex commixtione farinae & aquae, per pasta decoctionem. Non obstat, inquam, nam quidquid fit, in aqua sit materia componens, an transeus, certe talis panis non est usualis, nec consequenter aptus ad consecrationem. Idem dicendum de pane confecto ex milio, leguminibus, nucibus, ut castaneis, vel ex radicibus arborum, qualis est ille qui fit in Insulis Americae, vulgoque *Cajaca* appellatur; ille enim non est panis simpliciter, sed secundum quid, nec usualis & communis in quo Christus hoc sacramentum instituit. Quare difficultas solum relata de pane qui fit ex granis aristas & spicas habentibus, & dicitur frumentaceus late fumendo nomen frumenti, prout est genus ad triticum, hordeum, siliginem, speltam, & similia; an nimirum quilibet ejus species possit esse materia sufficiens ad consecrationem, vel solus triticus fit aptus ad illam? Item, an debeat esse azymus vel fermentatus? Gabriel enim & Cajetanus docuerunt panem esse quicumque specie frumenti factum, esse materiam aptam ad consecrationem. Eandem sententiam, excluso hordeo, sequitur Paludanus in 4. dist. 11. quest. 1. art. 4. ubi asserit aliquas Ecclesias consecrare in pane speltaceo: Graeci autem Schismatici putant esse de necessitate sacramenti, quod panis sit fermentatus. Demum sunt aliqui qui dixerunt, azymum esse materiam necessariam pro Latinis, fermentatum vero pro Graecis, ut indicat Glossa in cap. *Litteras* de celebratione Missarum.

S. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primo: solus panis triticus est sufficiens materia 4 Eucharistiae. Ita D. Thomas hic art. 3. & in 4. dist. 11. quest. 2. art. 2. quaestione. 1. & habetur expresse in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi de hoc sacramento dicitur: *Cujus materia est panis triticus, & vinum de vite*. Nec recte Cajetanus Concilium explicat de materia praecipua, non sacramenti; alias enim cum ibidem dicit, materiam sanguinis esse vinum de vite, & aquam naturalem esse materiam Baptismi, eodem modo responderi posset, loqui solum de materia praecipua; cum tamen nemo dubitet, vinum vitigenum esse materiam calicis, & aquam naturalem materiam Baptismi, necessariam simpliciter necessitate sacramenti.

Ratio hujus conclusionis alia non est quam Christi institutio, qui hoc sacramentum instituit in pane usuali: Sed hic fit ex tritico, nam alius omnis substituitur in defectum hujus, unde nec panis simpliciter disti conviescit, sed cum addito panis hordeaceus, panis ex milio &c. Ergo solus panis triticus est sufficiens materia Eucharistiae. Haec censetur Apostolica traditio, quam Ecclesiastica auctoritas confirmavit, ut testatur Catechismus Romanus.

Quaenam autem grana triticum sint, de quibusdam certum est, de aliis dubium. De hordeo, milio, avena, & leguminibus, certum est non esse triticum, sicque ex illis non possit confici panem sacramentalem, seu qui sit materia sufficiens pro consecratione. De siligine vero & spelta, probabile est esse species tritici, propter affinitatem accidentium maxime quia, ut perit testantur, illae in malis terris ex grano tritici feminato nascuntur, quod teste D. Thomae hic art. 3. ad 2. signum est specificae identitatis quia semper generans generat sibi simile in specie. Unde etiam probabile est, panem ex spelta, vel siligine, esse posse materiam Eucharistiae; & qui in necessitate in tali pane consecraret (puta ne homo moriatur sine sacramento, vel ut in die festo non maneat totus populus sine sacrificio) forte excusari posset, ob probabiliter hujus sententiae, ut aliqui Theologi existimant. Sed ego non consulere; quia praecipuum Ecclesiae est non consecrare materiam dubiam, & aliunde quod infirmis communicet, vel quod populus Missam audiat, non est simpliciter necessarium ad salutem, & carentia panis tritici ab obligatione praecipui excusat.

Dico secundo, in utroque pane azymo & fermentato, valide consecrari posse, convenientiorem tamen esse azymum.

Prima pars hujus conclusionis determinata est in Concilio Florentino, sess. ultima, in litteris sanctae unionis, his verbis: *Definimus in azymo sive fermentato pane tritico, corpus Christi veraciter confici*. Idemque prius docerant